Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26940
Copyright: Admont, Benediktinerstift



aut enim unum odio habebit. et alterum diliget.
aut unum sustinebit. et alterum despiciet.
Non potestis deo servire et mamone. Ideo dico
vobis. ne solliciti sitis anime vestre quid manducetis.
neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima
plus est quam esca. et corpus plus quam vestimentum.
Respicite volatilia celi. quoniam non seminant neque
metunt. neque congregant in horrea. et pater vester
celestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis.
Quis autem vestrum cogitando potest addere ad staturam
suam cubitum unum. Et de vestimento quid solliciti
estis. Considerate lilia agri quomodo crescunt. non
laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec
salomon in omni gloria sua cooperta est sicut unum
horum. Si autem fenum agri quod hodie est. et cras
in clibanum mittitur deus sic vestit. quanto magis
vos minime fidei. Ergo nolite solliciti esse
dicentes. Quid manducabimus. aut quid bibemus.
aut quo operiemur. Ista omnia gentes inquirunt
Scit enim pater vester. quia his omnibus indigetis. Ergo
primum querite regnum dei. et iustitiam eius. et hec
omnia adicientur vobis.

Dominica septuagesima docent nos quid fugere
quid sectari debemus. et adhuc petra